



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarragonensis Dialogorum
Libri Duo de emendatione Gratiani**

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

VI. De dupli octava synodo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

plaribus & vetusto quodam codice. in quo quidem extremo & hic & alijs tres canones descripti sunt tanquam fragmentum alicujus Concilij.

(7) Inscriptio capitinis octavi Presbyteris. distinctio ne 27. in Romano libro hæc est : Item Calixtus Papa II. In Notis additur : *Hic canon inventus est in codice Vaticana Bibliotheca in fragmento cuiusdam Concilij ab Urbano secundo habiti c. 2. Ex eodem vero Concilio sunt canones Alienationes. 12. q. 2. & Paternorum. 24. q. 3.] Illa verba sine varietate edita sunt, seu matrimonia contrahere. & personas &c.*

(8) Gratiani verba sunt in codem libro ante caput 37. *Alienationes. 12. q. 2. Item Urbanus Papa. In Notis hæc sunt : Post collectionem Anselmi in codice per antiquo habetur fragmentum cuiusdam Concilij Urbani secundi, in cuius initio hæc leguntur : Alienationes quæ specialiter per Ottонem, Guidonem, Hieremiam, seu forte Philippum ubilibet de possessionibus Ravennatis exarchatus factæ sunt damnamus. Generaliter autem omnium per intrusionem seu canonice electorum sub Episcopi nomine vel Abbatis... Ecclesiæ suæ consecrandus est, alienationes quocunque modo factas &c. usque ad finem hujus capituli sine ulla varietate.*

DE DUPLICI OCTAVA synodo.

Dialogus sextus.

C. E t Græcos libros duorum Conciliorum & Latinos attulimus. Sed prius velim scire abs te cur utrumque octavum appelletur. Nonum enim qui dicunt quod posteriorius est, ordinem temporum sequuntur. A. Tertiam opinionem omittis. Sunt qui Florentinum Concilium octavum quoque gene-

rale vocent, illis duobus, ut opinor, rejectis. Qui vero Hadriani minoris pro Ignatio contra Photium Concilium ut à posteriori Joannis synodo abrogatum reiciunt, octavam generalem synodum hanc appellant. Illam tamen octavam fuisse, antequam ab hac improbaretur, negare non possum. B. Qui Florentinum Concilium octavum dicunt, quo pacto interpretantur verba professionis Romanorum Pontificum apud Ivonem ^a & Gratianum ^b relata, & in Concilio Constantiensi sessione XXXIX. *Sancta octo universalia Concilia, primum Nicenum &c. octavum quoque Constantinopolitanum, usque ad unum apicem immutata servare profiteor.* A. Non video quid dicere possint. (1) Sed major difficultas ex eisdem verbis nascitur, num de priore octavo sub Hadriano minore, an de posteriore sub Joanne, quod illud prius abrogat, intelligantur. C. Si utrumque Concilium generale est, ex auctoritate Romani Pontificis habitum, & prius Concilium à posteriore abrogatur, posterius solum obtineat necessè est. A. In Græco libro nuper ex Italia ad me perlato multa continentur contra Photium à Romanis Pontificibus acta post utramque octavam synodum. Quæ me facile in eam sententiam trahunt ut credam non confirmasse Joannem synodum à Legatis Constantinopoli habitam. B. Hoc ipsum testatur Joannes de priore synodo, non fuisse ab Hadriano confirmatam. A. Quid si hoc falso est & à Photio effectum, ut in aliis

^a Ivo lib. 2.
tit. II. c. 15.
panorm. &
par. 4. c. 132.
decr.
^b Dift. 16. c.
8. Sancta.

fictis subscriptionibus & falsis legatis Patriarchum à synodo convincitur? Huc accedit quod si totam eam synodus Hadriani reiciimus, quæ Photius contra Nicolaum Pontificem & Ignatium Patriarcham egit approbari videntur. Sunt igitur magis consentanea & veri magis similia, ut quæ pro auctoritate Romanæ Ecclesiæ à prioribus Pontificibus, non solùm Nicolao & Hadriano, sed & ante eos à Leone quarto & Benedicto tertio, contra Photium & Gregorium Syracusanum Episcopum Photij consecratorem acta & scripta sunt, eadem à Joanne VIII. Marino, Hadriano tertio, Stephano sexto, & Formoso comprobata sint. quod Græcè scriptum invenio, verbis rescriptorum eorundem Pontificum allatis. Quibus adduntur Joannis noni litteræ ad Stylianum Neocæsariensem: qui cum multa contra Photium ad Stephanum sextum Pontificem scripsisset, postea mutare sententiam visus est aliis litteris ad hunc Joannem datis. In illis ad Stephanum missis ait deceptos esse à Photio Paulum & Eugenium Episcopos à Joanne VIII. missos ad Ignatum de Bulgarorum regione: quem cùm mortuum invenissent, à Photio donis, ab Imperatore minis persuasi sunt ut coram clero & populo CP. dicerent se missos esse contra Ignatum & ut Photium absolverent. Postea Petrum ab eodem Pontifice missum esse, & hunc cum Paulo & Eugenio Photium receptum esse à sede apostolica Romana publicè dixisse. B. Horum trium Légatorum nomina

inveni ab Ivone c & Gratiano d esse relata.

A. Quærantur eorum verba. B. Ivonis verba sunt: *Ex actione v. synodi Constantinopolitane CCCLXXXIII. patrum sub Ioanne*

Papa VIII. cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis & Paulus Anconitanus Episcopus & Eugenius Ostiensis Episcopus Apocrisarij Padixerunt: Hoc nequaquam apud nos habemus &c. C. Eadem ferè verba Gratianus refert: Vnde in quinta actione CP. civitatis synodo &c. Apocrisarij Papæ dixerunt &c. A.

In libro Cæsaraugustano ita est: VI. synodi CP. CCCL XXXIII. patrum sub Ioanne

Papa VII. Apocrisarij Papæ dixerunt &c.

Hæc mendosa sunt. Neque enim hæc sexta synodus est, sed octava, vel nona habita ratione aliarum generalium, aut quarta vel quinta habita loci ratione. (2) C. Non satis intellego cur eam quartam vel quintam dicas.

A. Fuere ante hanc generales septem, quæ vel à locis nomen habent, ut Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensis, & quinta CP. iterum, & sexta item CP.

tertiū, & septima Nicæna posterior. Vides ante hanc tres Constantinopolitanas. Quarta est quam octavam sub Adriano appellant, quinta hæc sub Joanne octavo, non septimo.

Quod si illa octava ut abrogata tollitur è medio, hæc erit octava generalis, & ratione loci quarta Constantinopolitana. C. Jam recte hæc mihi explanata sunt. Sed incidi in librum Dominici Jacobatij de Conciliis; in quo referebat veterum canonistarum (sic

c Ivo par. 7. c.

149. decret.

d 7. q. 1 c. 45.

Hoc nequaquam.

Cef. lib. 9. c.

62.

enim dicere solet } opinionem fuisse nihil dif-
ferre octo an quattuor dicas fuisse generalia
Concilia. Et quod Gregorius e ait, *sicut san-
cti evangeli quattuor libros, sic quattuor Con-
cilia suscipere & venerari me fateor,* (quod
repetit Gregorius VII. lib. vii. registri) &
 Ivo f & Anselmus g & Gratianus h & alij i
referunt. Et beatus Isidorus k ait: *Quattuor
sunt venerabiles synodi, quae totam principali-
ter fidem complectuntur, quasi quattuor evan-
gelia vel totidem paradisi flumina.* Hæc, in-
quiunt, verba non ad sola quattuor priora
Concilia pertinent, sed etiam ad quattuor
posteriora. Octo enim esse generalia Conci-
lia fatentur ex verbis professionis Romani
 Pontificis, de quibus hodie dictum est. B.
 Quo pacto Gregorius & Isidorus, qui sexta,
 septima, & octava synodo fuerunt priores,
 de his cogitare potuerunt? C. Ratione & au-
 thoritate moventur. Rationem adferunt,
 quod quattuor loca fuerint generalium Con-
 ciliarum, in quibus quattuor locis octo gene-
 ralia Concilia habita sunt, Nicæa, Constanti-
 nopolis, Ephesus, & Chalcedon. Ut cum
 dicimus quattuor esse Patriarchas, Constan-
 tinopolitanum, Alexandrinum, Antioche-
 num, & Hierosolymitanum, nullam habe-
 mus rationem successionis personarum, quæ
 permultæ fuerunt. B. O plumbeum pugio-
 nem! Hac ratione generalia non erunt Late-
 ranensia Concilia, Lugdunensia, Viennense,
 Constantiense, Florentinum, Tridentinum,
 quod non eisdem locis habita fuerint quibus illa

e Lib. i. epist.
24. registri.

f Ivo par. 4. c.
117. decret.
g Ans. lib. 6.
c. 52.
h Dist. 15. c.
2.
i Cas. lib. 1. c.
36. Tarrac.
lib. 1. c. 150.
k Isid. lib. 6.
16. etymol.
Grat. dist. e.
c. 1.

illa quattuor prima. (3) A. Dic de auctoritate. C. Utuntur auctoritate Innocentij tertij, quæ utriusque vestrum maxima est; cujus verba tam in tertia collectione quam in Gregoriana inveniuntur; quos etiam libros reicare non licet. A. Magnam tu quidem moves exspectationem. Recita verba. C. Verum postulationi hujusmodi videbatur Concilij Constantinopolitani capitulum obviare, in quo statutum est ut quicumque de pontificali dignitate ad monachorum vitam & poenitentiae locum descenderit, nequaquam ulterius ad pontificatum resurgat. B. Hoc idem caput est Concilij octavi sive noni, cujus verba referunt Ivo l & Gratianus m & Cæsaraugustanus n liber. Et verè Innocentius ait esse hoc Concilij Constantinopolitani capitulum. C. Audi reliqua: Vnde contra dictum Concilium, cum sit unum ex quattuor principalibus, quæ sicut quattuor evangelia Ecclesia catholica veneratur, nullatenus videbatur eorum postulatio admittenda. Vides hic Gregorij verba ad hoc posterius Concilium referri. Audis hoc Concilium, de cuius auctoritate dubitabamus, quasi unum ex quattuor evangeliis esse venerandum. B. In rescriptis Pontificum multa sunt ex Advocatorum allegationibus accepta. Sic hoc fuit ab Innocentio scriptum, quod putaret illum verum dicere qui abusus est illa veterum canonistarum tuorum opinione. Canones autem Concilij Constantinopolitani primi non erant Latinis noti, ut Nicolaus ad Michaëlem scribit, licet in Cor-

*De rerum.
cap. 5. Post
translatio-
nem. in 3.col-
lect. & c. II.
c. tit. Gregor.
IX.*

*1 Ivo d.par.
7. 6. 149.
m 7. q. 1.c.
45. hoc ne-
quaquam.
n Cæsar. d.li.
9. c. 62.*

T

pore canonum inveniantur. Unde facilè im-
positum est huic Pontifici, ut crederet id ca-
put esse ejus Concilij, cùm sciret esse alicujus
Constantinopolitani. C. Ivo & Gratianus
apertè dicunt esse Concilij Constantinopoli-
tani sub Joanne octavo, non sub Damaso.
(4) A. Hoc etiam confirmatur ex Græcasy-
nodo & ex Nomocanone Joannis Zonara &
Theodori Balsamonis & Alexij Aristeni, in
quibus tres canones sunt hujus Concilij, quod
in templo sanctæ Sophiae habitum esse dici-
tur. Illic etiam sunt x vii. canones alterius
Concilij Constantinopolitani in templo bea-
torum Apostolorum habiti, quod ex prima
& secunda synodo dicunt. Credo propter
duas quasdam synodos contra Ignatium ha-
bitas, quæ improbatæ sunt à Nicolao & Ha-
driano minore, licet in posteriore interfuerint
Rodoaldus & Zacharias Legati Nicolai, quos
ut prævaricatores Nicolaus in synodo Ro-
mana depositus. Ex his xvii. capitibus nihil
est apud Gratianum, quod sciam. Ex illis
verò tribus primum caput vix ferendum est
de Italی excommunicatis à Joanne Papa non
recipiendis à Photio, item ut excommunica-
ti à Photio non recipiantur à Joanne Papa
neque à Romana Ecclesia, salvis privilegiis
Romanæ Ecclesiae & ejus Pontificis. Alterum
caput est id de quo agitur, pleniū apud Grä-
cos scriptum quam apud Latinos: *Et si ante-*
inquit, aliqui Episcopi in monach. habitum
demissi, in pontificali coacti sunt permanere;
& id agentes contemnebantur, sancta synodus

decernit hæc esse corrigenda juxta ecclesiasticae disciplinam. Statuit igitur ut si quis Episcopus aut alius antistes ad monachorum vitam velit pervenire &c. B. Quæ Latini referunt, non ex verbis canonis initio concepta esse videntur, sed ex actione quinta & ex verbis Apocrisiorum sive Legatorum. A. Sic etiam est ante verba canonis in Græco libro. Interrogante enim Photio Legatos Romanos, ipsi respondent, quos, non Apocrisarios, sed τοπομητας Græcus vocat liber: τρισ τρισιν εκ εσιν &c. Nunc, si placet, varietatem trium librorum Latinorum videamus. Pro voce *habeatur* Ivo & Cæsaraugustanus habetur scribunt aptius. Græcè est, εκ εσιν, εις εγερται. Quod Gratianus scribit ordine & habitu, illi scribunt ordine, aliis omissis: Græci μηματος. Quod Gratianus, ad monachorum addunt illi, id est, pœnitentium. Græci, τετέσι τι μεταροθτων. Pro voce *vitam*, qua Latini utuntur, Græci χωρα, hoc est, locum scribunt. pro, *in episcopatum reverti*, Ivo & Cæsaraugustanus habent *ad pontificatum reverti*. Græci τὸ ἀρχεπωσίν εἰσι τὸ διευδικεῖν αξιωμα. Item præcepit sancta synodus &c. Hæc sunt ex canone secundo ita scribenda: Item. Præcepit &c. ut Ivo & Cæsaraugustanus notant. Quod Gratianus ait, de pontificali dignitate habituque, in Cæsaraugustano est de pontificatu, apud Ivonem de pontificali dignitate, aliis omissis. Græcè est, τὸ ἀρχεεπικοῦ αξιωματος. Pro illis, & pœnitentie descenderit locum, in Cæsaraugustano est descenderit, apud

T ij

Ivonem, & ad pœnitentia descenderit locum.
Græci habent, ε τὸ μετροῖας τῶν αὐτοῖς
οὐ. Pro voce nequaquam habet Cæsaraug-
stanus ne jam, & Ivo nequaquam jam. Græci
μηνέτι. & pro resurgat, αὐτισμοῖς θεοῦ. Quod se-
quitur, *Monachorum enim vita subjectionis*
habet verbum, subobscurum efficit vox ver-
bum pro ratione positum, quod vox λόγος illi-
trumque significet. Ivo vitam pro vita non
rectè habet. In libro Cæsaraugustano hæc
verba desiderantur. Illud Gratiani est: *Hoc*
ad pœnitentiam &c. quæ Ivo non habet. A-
pud Græcos alia quoque sunt ex quibus vide-
tur hoc idem confirmari. Tertio canone ana-
thema dicitur laico verberanti aut capienti ex
quacumque caussa Episcopum. De capitibus
octavæ synodi sub Hadriano cras agemus,
quamvis ordine perturbato.

ADDITI O N E S.

(1) **D**E inscriptione capitinis octavi *Sancta dist.*
16. scriptum est lib. 1. dial. 20 addit. 14.

(2) Ante caput 45. *Hoc nequaquam.* 7. q. 1. hac
verba sunt in codem libro: *Vnde in quinta actione*
Constantinopolitana synodi ccc lxxxiiii. patrum
sub Joanne Papa octavo, cui præfuit Petrus Presbyter
Cardinalis & Paulus Anconitanus Episcopus & Eugenius
Ostiensis Episcopus. *Apocrifarij Papa dixerunt.* In
margine est: *Ivo p. 7. c. 149.* Et in Notis: *In quin-*
ta] Apud Ivonem par. 7. c. 149. pro indice hujusca-
pituli leguntur hæc: Ex actione quintæ synodi Con-
stantinop. ccc lxxxiiii. patrum sub Joanne Papa
VIII. cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis &
Paulus Anconitanus Episcopus & Eugenius Ostiensis
Episcopus. *Initium vero ipsius capitinis est: Apocrifa-*

ij Papæ dixerunt: Hoc nequaquam.] In extremo hoc capite additur etiam in Notis: *Hac synodus sub Ioanne octavo extat Graeca in Vaticana bibliotheca.* Cujus synodi tres tantum canones cum explanatione Balsamonis editi sunt Lutetia, & apud ipsum inscribitur, Synodus in templo sapientiæ habita sub Photio Patriarcha. In secundo autem trium illorum capitulo habetur sententia hujus capituli. Visum autem est, ut omnia melius percipiatur, locum hunc Græcè & cums nova interpretatione esse adscribendum. Φῶτος ὁ πατριάρχης, &c. id est: Photius Patriarcha dixit &c.

(3) Initium capituli primi dist. 15. in eodem libro est: *Canones generalium Conciliorum* (ut Isidorus ait lib. 6. etymol. c. 16.) à tempore Constantini cœperunt &c. In margine est: *Pann. l. 2. c. 104.* Ante caput 2. ead. dist. hæc sunt: *De quattuor vero Conciliis sibit B. Gregorius ita dicens lib. 1. regesti epist.* 14. *Sicut sancti evangelij &c.* In margine est: *vero* Al. quoque. In scholio capituli 8. *Sancta octo.* dist. 16. hæc sunt: *Sancta I. VIII.* (mendose pro *Sancta octo*) *huc Concilia dicuntur octo, quia octies sunt celebrata, ut hic dicuntur; & quattuor, quia in quattuor locis celebrata, ut sup. dist. proxi.* *Sicut.* Hæc censura carent.

(4) Hæc inscriptio est capituli undecimi Post translationem. de renuntia. in editione Romana: *Idem Innocentius III. Episcopo Faventin. in Archiepiscopum Raven. electo.* In margine est: *Cap. 5. eod. in 3. compilatione.* In scholiis, ad illa verba, cùm sit unum ex quattuor principalibus &c. Ex quatuor] Et sunt hæc, scilicet *Nicanum*, *Constantinopolitanum*, *Ephesinum primum*, & *Chalcedonensem*, (scribitur, *Chalcedonense*) 15. dist. *Sicut.*

